Ad declarationē huiuſmo di.ſ.q̄n circūſtātie pecca torū ſunt confitende ſic dicit Pe.de palu.in.iiij.di.xvj.q. iij. Circunſtantie ſunt in q̄n tuplici genere ¶ Prime ſunt que non alleuiant nec aggra uant.ſicut ille que nullā im portant conuenientiā vel diſ conuenientiaꝫ ad rationem. nec ex ſe:nec ex ſuppoſitiōe: vt furari cū manu dextera vł ſiniſtra. ꝛ iſtas cōfiteri eſt ſu perfluū. ¶ Secūde ſunt que alleuiant.ſ.q̄ ipoꝛtāt ꝯuenīē tiam:vt facere malū ex bona intentione vel ignoꝛantia: et iſtas cōfiteri eſt īperfectū : ni ſi timeret ſcandalū confeſſo rū. ¶ Tertie ſunt que ipoꝛ tant diſconuenientiā ex ſup poſitione:vt furari multū. et iſtas ꝯfiteri eſt perfectū: quia aggrauāt peccatū:niſi immi neret periculū ſui vel cōfeſſo ris:vel alterius tertij. Sꝫ qꝛ nō mutāt ſpeciem nec aggra uāt in īfinitū: nō eſt neceſſa riū eas cōfiteri ſm Thō. in iiij.d.xvj.q.iij.ar:ij.ad.iij.q. Sed Pet. dicit ꝙ quamuis iſta ſit cōmunis opinio : tuti oꝛ tñ eſt alia.ſ. vt confiteatur eas.ſ.cum notabiliter aggra uāt:vt furari cētū:multo gra uꝰ ē ꝙ furari vnū. ¶ Quar te ſūt que aggrauāt ꝛ mutāt ſpēm:nō tñ in īfinitū grauāt ꝛ mutāt:vt q̄n vtrūqꝫ ē veni ale:vel q̄n pꝛimū eſt moꝛtale ſcdꝫ veniale:vt ī ſpēcibꝰ gule quaꝝ vna aduenit alteri:ꝛ ſūt q̄nqꝫ veniales ꝛ q̄nqꝫ moꝛta les:ꝛ iſtas ꝯfiteri nō ē neceſ ſariū. Nec illō eſt ꝯ hoc qō di cit tho.ꝛ cōiter alij.ſ.ꝙ q̄ mu tāt ſpēm neceſſario ſunt ꝯfi tēde:qꝛ loquūtur de illis que ſunt moꝛtalia. Ratio aūt q̄re nō eſt neceſſariū eas ꝯfiteri ē iſta : qꝛ circūſtantia ē ꝯfitēda neceſſario:nō qꝛ mutat ſpēm vt pꝫ in veniali:ſed q̄a mutat in īfinitū vt patet in moꝛtali. Sed circūſtantia nō mutās in īfinitū:nūꝙ aggrauat ī in finitū:q̄a intēdit penas ꝛ nō extēdit. Extenſio.n.eſt infi nita nec pōt creſcere:ſ; inten ſio eſt īfinita:ꝛ ſemp pōt cre ſcere. Nulla ergo talis q̄ non mutat ſeu aggrauat in infini tum:eſt neceſſario confitēda. ¶ Quinte mutāt ꝛ q̄nqꝫ ag grauant in infinitum: vt quā do veniali actui:puta laute et ſtudioſe pꝛeparationi addit ebꝛietas vł notabł anticipa

tio hore. in ieiunio ſine cauſa ¶ Sed vtruȝ in religioſo ſit mortale qđ alteri eſt veniale dicenduȝ ꝙ nō: puta dicendo verbuȝ ocioſum ⁊ hmōi: niſi ſpeciē mutaret: qꝛ nubere vł velle nubere: qđ ſecularibus nō eſt peccatū: ſi hoc fiat cauſa prolis generāde: vel veniale ppter voluptatē: eſt mortale religioſo pfeſſo: clerico vel ordinato: qꝛ ſacrilegiū: nō autem primi motꝰ luxurie: furti: vł inuidie: qꝛ nullus vouet ſe non habiturum primos motus qui nō ſunt in noſtra poteſtate. hec pe. đ pa. vbi ſupra

¶ Circūſtātie q̄ trahūt pctm̄ ad aliud genꝰ ſunt ꝯfitēde.

Et nota ſm Tho. opuſculo. xij. in quadam epiſtola: ꝙ ille circumſtantie dicunť trahere peccatum ad aliud genus: ⁊ ideo de neceſſ tate confitēde: que habēt ſpecialē repugnantiā ad aliqđ p̄ceptoꝝ diuine legis: ſicut furtū ſimplex repugnat huic precepto: nō furtū facies. Si vero fiat furtū in loco ſacro: circūſtantia loci iam repugnantiā hēt ad aliđ p̄ceptoꝝ qđ eſt de veneratōe ſacroꝝ: ⁊ ſic addiť noua ſpecies peti: ⁊ ſic de alijs.

¶ Peccatū cōmiſſum die feſto trahiť ad circūſtātiā aliā.

Sicut Nico. de lyra ſuper Exo. ꝙ peccatū mortale cōmiſſum die feſto habet ſpecialem repugnantiam ad illō preceptum de ſanctificatione feſtorum ⁊ ſabbati. quia magis eſt opus ſeruile opus peccati: ꝙ opus manuale. Opus autē ſeruile ibi prohibeť: ⁊ ſic mortale vltra propriaȝ deformitatē ſue materie: ex hoc ꝙ cōmittiť in die feſto: hēt aliaȝ deformitatem ex iſta circunſtantia quā opȝ ꝯfiteri. Et in fine illius opuſculi dicit ideȝ. Tho. ꝙ illud qđ diciť circumſtantias nō trahētes peccatū ad aliud genꝰ ſiue ſpeciē: nō eſſe de neceſſitate ꝯfitendas: nō eſſe referendū ad numerū petōꝝ ⁊ eiuſdē ſpeciei: qꝛ numerꝰ tenetur confiteri ſi pōt: qꝛ nō eſt vnum ſed multa: ⁊ hoc nota diligenter.

¶ Nota tertio ꝙ cuȝ cogitatio cū deliberatione ꝯſēnis in actuȝ peccati mortalis. ſ. deliberandi illuȝ actū agere: etiā abſqȝ operē ſit pctm̄ mortale ideo ad ſingulas petōꝝ ſpecies poſt petā operis: interroga ēt de peccatis cogitationū

illius peccati tantū: ꝛ de peccatis. Et cū opus alicui⁹ peccati: ꝛ deliberatio mētis: ad illud agendū abſq; ope ſit eiuſdē ſpeciei ſpecialiſſime: ſ͡ dif-fert ſm̄ mai⁹ ꝛ min⁹: vel pfectū ꝛ imperfectum: q: ſ. maius peccatū eſt in opere ꝙ in ſola cogitatione: ideo ēt de circunſtātiis huiuſmodi cogitationū interrogādū eſt puta ſi dicit penitēs ſe conſenſiſſe cogitationib⁹ luxurioſis: q: pōt hoc eſſe multipliciter: ꝛ in diuerſis ſpeciēb⁹: ideo īterrogetur de qualitate ipaꝝ cogitationum: vt ſi deliberauit tale peccatū cōmittere cū ſoluta: q: tūc fornicatio eſt: ſi ipſe ſolut⁹ eſt. aut cū ꝯiugata: q: tūc adulteriū eſt. aut cū cōſanguinea: q: tunc inceſtus eſt. ꝛ ſic de aliis luxurie ſpeciebus et aliorum vitiorum.

¶ Peccatū diuidit̄ in tria.

Pro aliquali declaratiōe predictorum nota ꝙ dicit Tho. i. prima ſcōe q. lxxij. ar. vij. ꝙ peccatū diuiditur p hec tria. ſ. peccatū cordis: oris: et opis: non ſicut per diuerſas ſpecies cōpletas: ſicut diff ert ſpecie bos ꝛ leo ꝛ capra: ſed per diuerſos gradus peccati: ſicut domus in fundamētum diuiditur: in pariete ꝛ tectum ſicut in ſpēs incōpletas. Cōſumatio igit peti eſt in opere. Vn̄ peccatū operis hēt ſpēm completā: ſed prima inchoatō ci⁹ eſt quaſi fundatio in corde ¶ Secundus grad⁹ ei⁹ eſt in ore: ſm̄ ꝙ homo ꝓrūpit faciле ad manifeſtādū ꝯceptū cordis. ¶ Terti⁹ gradu⁹ eſt i cōfirmatiōe opis. Patet ergo ꝙ hec tria ptinēt ad vnā perfectā peccati ſpēm. cū ab eodem motiuo ꝓcedant. Iracūdus. n. ex eo ꝙ appetit vindictā: p̄io turbaт in corde: ſcđo in verba cōtumelioſa ꝓrūpit tertio pcocedit ad facta iurioſa: vt pſecutionē ꝛ hui⁹: ꝛ ſic de aliis q̄buſlibet: ꝛ de luxuria. Nec tñ ſic intelligēdū eſt petā cordis eſſe ſpēs incōpletas q̄ſi nō ſint mortalia: imo qñ in eis eſt cōſenſus deliberatiuus ad act⁹ quide ſe ſunt petā mortalia: tales cogitationes ſunt petā mortalia. et ſi non ita grauia ſicut peccata operis: vt dictū eſt. Et quādo ſunt ſimul cogitatio cū locutione ꝛ opere. vnū eſt peccatum: vt patet de luxuria et aliis peccatis. Et quando vo-

ro quodđam tēpore deliberat fornicari: et alio tēpore diuer ſo ⁊ diſtanti fornicař: ſūt duo pctā mortalia. De delectati one vero moroſa aliquid dice tur ſuo loco.

¶ Regule quinq₃ cognoſcē di pctūm mortale a veniali.

Ad cognoſcendū vero qn do peccatū eſt mortale: vel veniale: nota quinq₃ re gulas. ¶ Prima eſt quando amor vel affectio ad aliquam creaturā.ſ. ſe vel aliam tan tū creſcit: vel eſt tā magnus: ꝙ in eo conſtituitur vltimus finis.i.ꝙ nec actu nec habitu ordinat illā creaturā: aut ei⁹ dilectionē: aut ēt ſeipm ſecū dū deū. ⁊ vellet cū tali creatu ra cōtentari: ⁊ nō curaret de um offendere: aut eius p̄cep ta tranſgredi pp̄ illā creatu rā. ita ꝙ ibi eſt aliqualis cōtē ptus dei. ⁊ ſi nō eſt formalis: tn̄ interpretatiu⁹: ⁊ eſt fruitō creature: q̇ꝛ preponitur crea tura deo. Unde cu₃ aliquis vellet hic cum creatura ſemp̄ manere: nō curādo de eterna beatitudine: licet nō ſint ſem per rudes de hoc interrogā di vel tentandi: tamen talis amor creature ſemp̄ eſt pec catum mortale. Quādo autē aliquis diligit aliquā creatu ram plus ꝙ debet. ſed prop ter hoc nollet deū offendere: aut eo carere: nec eius amici tia₃ perdere: talis amor crea ture nō ſemp̄ ē peccatū mor tale. ¶ Secūda regula ſatis concordat cū precedēti. ſ. cu₃ notabiliter cōtra dilectione₃ ꝓximi aliquid cōmittit: tunc eſt mortale peccatū. Qn̄ vero nō. tūc eſt veniale. Qn̄ vero aliquid ſit cōtra dilectionem dei: pōt attēdi penes hoc: qđ repugnat charitati vel amici tie: quā debem⁹ ad deū habe re ſup̄ oīa. Qn̄ autē aliqđ ſit contra dilectionē ꝓximi: pōt attēdi penes iſta p̄cepta legis nature. ſ. qđ tibi nō vis fieri: alteri ne facias: ⁊ qđ tibi rōa biliter ⁊ ex debito vis fieri: al teri facias: ⁊ pōt etiā attendi penes ſcādalū actiuū: qđ ego infero ꝓximo meo per mala exēpla. Sz īquātū importat aliquid contra dilictionē: vel quantū ſit illud ſcādalum: ad hoc ꝙ ſit mortale: nō preciſe determinatū eſt: q̇ꝛ ī modico facere ꝯtra ꝓximū nō ē mor tale: aut in paruo ſcādalizare Unde quilibet attēdat ad ſe

ipſum quod ſibi vellet fieri ꝛ
qd ſibi nollet fieri: ꝛ ꝑ qd fa-
ctū ꝛ non factū ſoluere. inter
ſe ꝛ amicū ſuū amicitiā quaꝫ
ſimul hn̄t. ¶ Tertia regl'a qn̄
omittunt̄ cōtra ꝑceptū dei: ꝛ
eccleſie vel legis nature vl' ſu
perioris. que ꝑcepta ſunt de
neceſſitate ſalutis: vel contra
votū publicū vel priuatū: vel
cōtra iuramētū licitū: ꝛ tunc
eſt mortale peccatū. qn̄ vero
citra: tunc non eſt mortale.
¶ Quarta regula: cū aliquid
fit: vel cōmittit̄: vel omittit̄ ꝯ
tra conſcientiā vere vel falſe
dictātē aliquod peccm̄ mor-
tale: vel ꝯtra cōſcientiā formi
dantē ꝓbabiliter vel dubita-
tiue: an aliqd peccm̄ ſit morta
le: tunc ſemꝑ eſt mortale: ſi ꝯ
ſcientia non ſit ſufficiēter in-
ſtructa. ¶ Quinta regula eſt
de actibus intus manentibꝰ.
Qn̄ quidam habet ſolam cogi
tationē de aliquo. quātūcūqꝫ
turpē vel malam abſqꝫ com-
placētia ſeu delectatione vel
cōſenſu: tunc nunq̄ eſt peccm̄
mortale: vel nulluꝫ: vel venia
le. Qn̄ vero eſt conſenſus in
actū qui eſſet peccm̄ mortale:
tunc ſemꝑ eſt peccm̄ mortale:
qꝛ deus volūtatē pro facto ac
ceptat. Qn̄ aūt cū cogitatio-
ne aut cōplacētia eſt delecta-
tio moroſa ī aliquo turpi: ſpā-
liter in libidinoſis: tūc ē mor
tale ſm dictū Augu. Eſto qꝫ
nō ſit conſenſus in actū ſm
hoc dictū Aug. iudiciū eſt de
peccatis interioribus: ad qd
ēt facit diſtinctio ſuprapoſita
d ſenſualitate ꝛ actione: ꝛ de
peccatis preuenientibus ꝛ ſe-
quētibꝰ deliberationē. Appli
cādo igit̄ ſeptē vitia capitalia
q̄ non ſemꝑ ſunt mortalia: ſꝫ
ſūt male radices in hōie ex q̄
bus oriuntur ſeptē venialia.

¶ Que d̄beat obſuare ꝛ ſcire
cōfeſſor vtilia ꝛ neceſſaria in
ipō exercitio ꝯfeſſionis. §. iiij

Ultra excōicationē iuris
cōmunis: ſciat confeſſor
ſi penitens incidiſſet in ſentē
tiam conſtitutionis ſinodalis
Ideo debet inueſtigare de ꝯ
ſtitutionibꝰ illius dioceſis: ſi
q̄s haberet: vl' ēt ꝓuincie vel
ligationis: vt melꝰ poſſit pe-
nitētibꝰ ꝓuidere. ¶ Diligen
ter querat de numero pecca-
ti. quotiens incidit in id vl' il
lud. qꝛ homines ſepe trāſeūt
illud leuiter. Et de circūſtan
tijs nō neceſſarijs: ꝛ de pecca
to quod alteri iā rite ꝯfeſſus

eſt non querat cuꝫ nõ tenea-
tur niſi in caſu ĩ quo tenetur
cõfeſſionẽ iterare: de quo ple
ne ſupra ĩ pce.pte.§.iiij.⁊ nõ
ſolũ de peccatis opere perpe-
tratis: ſed ẽt de peccatis cor-
dis ⁊ de numero eoꝝ que pꝫ-
ſone puſpendũt.interrogãdũ
eſt. ¶Et ſm Tho.pria. ij.q.
lxxij.pctm̃ cogitationis ⁊ ope
ris in eadẽ materia ſunt ſpẽi
ſed differunt ſcõm magis et
minꝰ: q̃.ſ.pctm̃ operis ẽ gra-
uius pctõ cordis. iõ ẽt iterro
gandũ eſt de ſpecie ⁊ circũſtã
tijs neceſſarijs peccatorũ cor
dis. Uerbigratia. Si dicit ſe
in mẽte ſoluꝫ deliberaſſe mu-
lierẽ cognoſcere: interrogan
dũ eſt vtrũ ſolutã vel nuptã
virginem vel aliã: ⁊ qua die:
⁊ hoc q̃ iſta faciunt illud pec
catũ eſſe diuerſe ſpẽi. ¶Et ſi
mulier eſt facias eã ex tranſ-
uerſo ſtare: nec in facieꝫ eius
aſpicies: q̃ facies eaꝝ vẽtus
eſt vrẽs ait propheta. ¶Sꝫ

nec virũ decet frequẽter aſpi
cere in faciẽ: ne cum erubeſce
re facias vltra q̃ opꝫ. ¶Uiroſ
qꝫ graues ⁊ ſapiẽtes dulcius
⁊ vrbanius oportet reprehen
dere. Ruſticos groſſos ac idi
otas duriꝰ: ne peccata ſua par
uipendant ex leuitate ſermo-
nis. Stimulatos vero ex do
lore ⁊ deſperatione: quantũ-
cunqꝫ peccata commiſſa ſint
grauia confortare ⁊ animare
expedit: inducẽdo exẽpla Da
uid Magdalene Pau. Pe.
Latrõis ⁊ hmõi. Induratos
⁊ ſe excuſantes aggrauaŕ pec
cata eorũ: oſtendẽdo pericula
exẽplo Ade. Saulis. ⁊ Iude
et hmõi que ſeipſos deſpera
uẽrũt. ¶Nota ſm .m. Uber
in li.de of.or.q̃ illoruꝫ ꝯfeſſio
nes prius ſunt audiende ⁊ li-
bentius: qui magis indigere
putanť: vel q̃ raro venire ſo-
lent: vel q̃ ſunt extranei: vel
q̃ ſunt in maiori ſtatu vel de
quorum confeſſione ſperatur
maior vtilitas futura.

¶Quomodo ſe habere debe
at cõfeſſor audiẽdo mulieres

Idem dicit de audientibꝰ
mulieres. Caueant ne ni-
ſi in publico audiant: ⁊ niſi ab
aliquo videantur. nec multuꝫ
imorentur: niſi quantum ne-
ceſſitas confeſſionis requirit
Et eis que nimis frequenter
confiteri volũt. aſſignent cer
tũ tẽpus: extra qd̃ ipas nõ au
diant: nec alijs colloquijs ſe
cis exponũt: ⁊ ſemper duris

verbis ꝛ rigidis vtant circa illas potiꝰ ꝙ molibus. hec ille Et hoc eſt cõtra illos q̃ quotidie audiũt mulierculas ꝛ faciũt eis lõgas p̄dicatiões: vñ amittũt metũ tp̄is: ꝛ ſcãdalũ ſeqͥt cõiter i ip̄is ꝛ i populis.

¶ Qualis ꝛ q̃ta debeat iniũgi ſatiſfactio ſeu pnia a cõfeſſore penitẽtibꝰ: ꝛ q̃liter ſe habere debeat pnias iniungẽdo.

Nota ꝙ pro quolibet peccato mortali eſſet regulariter ſeptẽnis penitẽtia iniũgenda ſeu imponenda. vt habetur. xxij. q. j. ca. Predicandũ. i glo. ꝛ. xxiij. q. ii. c. hoc ipſuꝫ. ꝛ § ſe. qõ ſuabat antiqͥtꝰ ꝛ iſta ſeptẽnis pnia magis vł minus aſpa ſecũdũ varietatẽ criminũ maioꝝ vel minoꝝ et circũſtantiaꝝ ꝛ cõpũctiones erat: quia vt dicit ibi Jero. apud deum nõ tm̃ valet tp̄is mẽſura: ꝙ doloris. nec tm̃ abſtinẽtia ciboꝝ ꝙ mortificatio criminũ. de pe. di. j. c. mẽſurã Sed hodie omñ oẽs ſunt arbitrio cõfeſſoris taxãde: cõſideratis circũſtãtijs criminuꝫ ꝛ pſonaruꝫ: ꝛ hmõi. extra de pe. ꝛ re. ca. deꝰ qui. ¶ Dicit ẽt Leo papa. xxvj. q. vij. c. tempora. Tp̄a penitudinis: tue moderatiõis arbitrio ſunt cõſtituẽda: put conuerſoꝝ aĩos proſpexeris eſſe deuotos.

¶ Ray. Guil. ꝛ ſpe. i ſuo repertorio hoc tenẽt: ꝛ generalis cõſuetudo ſic ſe hẽt. Nec eſt cõtra id qõ dicit Gre. de pe. d. v. c. falſas. falſas pnias dicimus que non ſm auctoritatem ſanctorũ patrũ pro qualitate criminũ iponuntur. Hoc enim intellige ſm Ray. cum ſine neceſſitate rõabili dimitterẽt pnie antiqͥtꝰ taxate. Nã vltra illã cõem pniaꝫ ſeptẽnẽ p quolibꝫ pcõ mortali i genere: ponũt alie pnie maiores vł minores p certis pctis: prout habetur in diuerſis capitulis decretaliũ ꝛ decretoruꝫ: q̃ qꝛ cõiter nõ dãtur hic nõ pono: que pleniꝰ habẽtur i ſumma cõfeſſorũ li. iij. ti. xxiij. q. xxxv. ti. de pe. ꝛ re. vbi ponũtur caſus. xlvj de hmõi. Eſt aũt ſatis rationabilis cã non dãdi huiuſmodi pnias in diſpoſitione penitentiuꝫ: ꝛ etiã aliqñ non ſufficeret tẽpus vite. Nã vt Ray. ꝛ Hoſti. dicũt: dꝫ ↄfeſſor talẽ dare penitẽtiã: quã veriſimił credat illũ iplere: ne ip̄aꝫ violãdo õterꝰ ſibi cõtingat. ¶ Qõ ſi ma

gra petã cõmiſit ⁊ dixit ſe pe nitere: ſʒ nõ poſſe aliquã durã penitentia facere: animet euʒ ad hoc ↄfeſſor: et oñdẽdo gra uitatẽ petõꝝ: ⁊ per ↄſequens pniaꝝ ⁊ penaꝝ ſibi ꝑꝑ hoc de bitaꝝ: ⁊ ſic tandẽ iniungat ei pniam quã libẽter ſuſcipiat. Et ſi ſacerdos nõ põt gaude re de oĩmoda purgatione ei⁹ ſaltẽ gaudeat ꝙ liberatum a gehẽna tranſmittit ad pur gatoriũ ¶ Itaqʒ vt dicit ho. confeſſor nullo modo dʒ per mittere petõreʒ deſperatũ a ſe recedere. ar. xxvj. q. vj. c. ꝑſbyter: ſʒ poti⁹ ĩponat ei vnũ pater noſter. vel aliud leue: ⁊ alia bona que fecerit vł mala q̃ tolerauit ſint ei ĩ penitẽtiã Cõcor. tho. in hoc. Hoc tñ ſa ne intellige. videlicet ſi ipm alias penitet: ⁊ dic̃ ſe paratũ facere qd dʒ: ſʒ hoc onus peni tẽtie ſufferre nõ poſſe: tunc ꝑpter hoc q̄tũcũqʒ deliquerit non dʒ dimitti ſine abſolu tione. ne ſe deſperet. Sʒ ſi di cit ſe nõ poſſe dimittere odiũ vł caſte viuere: vł alienũ non velle reſtituere: vel artem di mittere quã ſine mortali pec cato exercere nõ põt: vł aliõ hmõi cũ poſſit; nullo mõ dbʒ abſolui ſm Tho. Pe. de pal. ⁊ Alb. q: vt dic̃ Grego. c. xj. q. iij. c. Tũc vera ẽ abſolutio ſacerdotis: cuʒ interni ſequit̃ arbitriuʒ iudicis. i. dei. q nũq̄ abſoluit ĩpenitentẽ. d pe. di. j c. Perfecta. §. nemine. Sa cerdos aũt nullam debet cõ mittere falſitatẽ in ſacramen tis veritatis. Unde de pe. d. v ca. fratres. Fratres nr̃os ad monem⁹: vt falſis penitẽtijs animas laicoꝝ decipi non pa tiant̃. Falſas pnias dicimus: cum ſic agit̃ de vno: vt nõ re cedat̃ ab altero. ¶ Uerũ ⁊ ſi talis peccatũ pur vult ↄfiteri debet audiri ei⁹ ↄfeſſio: vt di cit̃ ex̃ de pe. ⁊ re. ca. ꝙ quidã. ⁊ ſic aliqd debʒ iniũgi: nõ tñ abſoluẽdo eũ: ſʒ ei declarãdo ꝙ ꝑpter hoc nõ eſt abſolut⁹: ſʒ tñ ſatiſfaciet ꝑcepto eccle ſie annualis ↄfeſſionis fiede: ⁊ hortetur eũ ꝙ faciat omne bonuʒ qd põt: vt de⁹ cor eius illuſtret ad pniaʒ. vt dicit̃ de pe. di. v. c. falſas. ⁊ ſic non eſt dimittẽdus ſine ↄfeſſione ne deſperet. Qd ſi inſtet pro ab ſolutione: oſtendẽdo ſcanda lum ⁊ deſperationẽ: ſi nõ ab ſoluat̃: nullo modo dʒ ei aſſẽ tire. Licet tamen ei declara

re: ꝙ fieri nō poteſt: nec iuua ret eū. ¶ Et ſi permanet in ſcandalo: nō eſt curandū: qꝛ eſt ſcandalū phariſeoꝝ. xj. q. iij. ca. Inter verba.

¶ Qualiter ſe habere debeat confeſſor penitentias iniungendo penitentibus.

In imponēdo penitentias: ne vileſcat auctoritas eccleſie: arbitretur confeſſor: & ne poteſtas clauiū contemnatur. de pe. di. j. c. Multiplex. §. ſunt qui arbitrantur. l. di. ca. Abſit. & ca. Si quis preꝑoſtera. Minus malū eſt ſi pur cōtingat errare: ꝙ erret dādo nimis paruā: ꝙ nimis magnā. vt dicit Chryſo. xxvj q. vij. c. alligāt: qꝛ vt ibi dicit Melius eſt deo reddere rōnē de nimia miſericordia: ꝙ d' nimia ſeueritate. Si. n. benignus eſt deus: vt ꝗd ſacerdos vult eſſe auſterus. ¶ Exēplū habemus a xp̄o vt dicit Ray. qui nulli vnꝗ graue īpoſuit pniam: ſ dixit. Uade & amplius noli peccare: et ad hoc maxime dꝫ attendere ꝯfeſſor excidere ab eo caſus & occaſiones pctōꝝ: puta ſi ꝯuerſatio eius cū aliquo vel aliqua eſt occaſio ei alicuius ruine: dꝫ imponere ſibi: ꝙ dimittat ſi pōt. & hmōi. de pe. di. iij. c. ſatiſfactio. Aliqn̄ īponere pōt ei loci mutationem: qui ei eſt ad ſcandalum: ſi fieri poteſt. di. lxxxj. cap. valet. Aliquando tamen res ſic ſe habent ꝙ fieri non poteſt.

¶ Contraria penitentia debꝫ imponi delicto.

Item īponēda eſt penitētia ꝯria ad malum quod cōmiſit ſm Ray. Uidelicet ſupbo opera humilia. guloſo ieiuniū. auaro elemoſinā: et hmōi. qꝛ ꝯria contrariis curantur. de pe. di. ij. c. ij. Qđ intellige ſi creditur illū velle & poſſe perficere. Hoc. n. eſt ad bn̄ eſſe: iponere magis iſtā ꝙ illā. ¶ Itē ſi eſt negligēs ad audiendū verbū dei: ſibi pōt iniungere ſm Jo. ꝙ audiat certum numerum predicationū. Dꝫ tn̄ cauere confeſſor ne det talem pniam: per quā fiat alteri ꝑiudiciū: puta ſi ſeruo iniūgatur pegrinatio vel ieiuniū prolixum: ita ꝙ eius dn̄s reciperet detrimētū de ſeruitio ſuo. ſi etiā īponeret vxori vt daret multas elemoſinas: dabit de bonis viri ſi parafrenalia non habet..

BIBLIOTECA UNIVERSITA DE GRANADA

¶ Item pro peccato occulto nõ eſt manifeſta pñia iniungẽda. ſ. talis vt poſſit inde ori aliq̃ ſuſpitio pctĩ commiſſi. ¶ Itẽ nota ſm Joã. an. ſup cle. dudũ. de ſepul. ſup verbo audire: ꝙ pri⁹ debet ſacerdos imponere pniã ꝙ̃ facere abſolutionẽ a peccatis: qd̃ probat ex ipſo textu clemen. que prius loquit̃ de pnia iniungẽda: poſtea de abſolutione. tũ etiã ex rõne probat: qꝛ cũ abſolutio ſit complemẽtũ ⁊ forma in pnia: prius dꝫ eſſe ſatiſfatio que eſt vt pars materialis pnie: ſaltẽ in propoſito actuali: vt expſſa ſatiſfactione que dꝫ iponi p ſacerdotẽ acceptet eã penitens ſicut cõfeſſus eſt ⁊ doluit. ⁊ inde ſeq̃tur abſolutio. Sꝫ ꝯriũ dicit̃ eſſe de cenſi. c. finali. vbi dicit̃ ꝙ archiepĩ pñt in viſitatione abſoluere: ⁊ pnias imponere ergo de neceſſitate nõ pcedit Quia tñ cõiter fit ꝯriũ: vt. ſ. prius abſoluat̃ ⁊ poſtea iniungatur pnia: quocunqꝫ fiat vł ante vel poſt ſufficit. Preſupponit. n. cõfeſſor illũ habere propoſitũ faciendi qd̃ ſibi iniunget cũ ipꝫ peniteat. ¶ Secundũ Jo. ſi penitentẽ abſoluis: cuius generalem cõfeſſionẽ audiuiſti abſoluas enim et a penitentijs oblitis: iniũctis ab alijs ſacerdotib⁹. Et ſi aliquaꝝ pniaꝝ iniunctarũ memor ſit ꝙ nõ ipleuerit eas: ſi iudicaueris expediẽs cõmittes eas: niſi eẽt in caſu quo non poſſes abſoluere. ¶ De permutatione pnie habes in iij. pte ſumme ti. xiiij. c. xviij. ⁊ xix. vbi ẽt mlta d̃ ſatiſfactõe

¶ Memoriale dicẽdũ penitẽti circa penitẽtiã fiendã.

Autũ eſt etiam ſibi dclarare ⁊ pmittere ꝙ ſi aliqua die ex obliuione vł negligentia dimitteret penitentiã impoſitam: puta ieiunium vł orationes ⁊ huiuſmodi: ꝙ poſſit alia die remittere. Et ſꝫ pe. de palu. in iiij. di. xx. q. ij. ar iij. ar. iiij. conſulendũ eſt diuitibus ⁊ nobilib⁹: ꝙ querãt participationem bonorum q̃ fiunt in religionibus: in quib⁹ ſunt ⁊ plures penalitates ꝙ̃ alibi: ⁊ magis deo accepte. ⁊ ꝙ in pniaꝫ iponatur eis ꝙ nõ ſoluꝫ bona que faciẽt per ſeipos: ſed etiã que per alios procurabunt: ⁊ ab alijs: ⁊ oia quoꝝ ſpecialiter ſunt participes. ¶ Dicit etiã pe. de pa.in

iiij.di.xx.q.ij.ar.j.ꝙ dꝫ ꝯfeſſor cũ minorẽ pniam debito imponit:innoteſcere ei ꝙ illa pnia ſibi impoſita nõ eſt digna:ne decipiat̃ putans ſuffi cere:ſꝫ ꝙ deberet pro quolibꝫ mortali ſeptẽnem agere peni tentiã:quã ſi hic nõ ꝑficiet:in purgatorio luet. Si tñ per il lam declarationem crederet euꝫ incidere in deſperationeꝫ non debet ſibi hoc dicere.

¶ Quid fiendũ qñ penitens nõ ꝯfitet̃ peccm̃ aliqd̃ mortale qd̃ confeſſor ſcit eſſe in eo.

DE cõfitente autẽ qui nõ confitetur aliquod mortale:quod nouit de eo confeſſor: et eo ꝙ non reputat illd̃ peccatum:dicit Hoſ. in quolibet.ix.ꝙ ſi eſt certuꝫ illud eẽ mortale:tũc quicunqꝫ cõfeſſor dꝫ ei facere conſcientiã de eo:cũ ꝯfeſſor ordinet̃ ad vtilitatem eiꝰ:ſed vtilitas eius eſt ꝙ ſciat ſtatũ ſuuꝫ:nec dꝫ eum abſoluere:ſꝫ reputare eũ indignũ ⁊ indiſpoſitũ ad recipiẽdum abſolutionẽ: duꝫ manet in tali ſtatu. ¶ Sed ſi dubiũ eſt vtrũ ſit mortale:⁊ opiniones doctoꝝ ſunt diuerſe. videlicet vtrũ ſit licitum emere redditus ad vitã:tũc aut confeſſor eſt ordinarius eiꝰ: ita ꝙ tenet̃ ꝯfeſſionẽ eius audire:⁊ tunc ſi ſit opinionis illiꝰ ꝙ illud nõ ſit peccatuꝫ: debet eũ abſoluere ſimpliciter. Si aũt credit ꝙ ſit peccatuꝫ:dꝫ ei facere cõſciẽtiã : ꝙ cõfitẽs ſe diligẽter informet de illo facto vtrũ ſit peccatũ Sed dato ꝙ ille nõ vellet recognoſcere illud eẽ petm̃ : nihilominus ex quo eſt ordinariꝰ tenetur euꝫ abſoluere:nec dꝫ eũ reputare inhabilem ad abſolutionẽ: qꝛ hoc ex errore ⁊ nõ proteruia opinione procedit. ¶ Ordinariꝰ aũt abſoluẽdo debet ſequi cõmune iudiciũ eccleſie non ſuũ. Si aũt ſit cõfeſſor delegatus:qui in nullo tenet̃ confitẽti:niſi velit:ſi credit illd̃ eẽ mortale non dꝫ eũ abſoluere qꝛ ex mera volũtate depẽdet vt abſoluat vel dimittat. Debet.n.ſequi ꝓprium iudiciuꝫ in abſoluendo : ⁊ peccaret ſi abſolueret. Hec Hoſt.

¶ Sacerdos dicitur ſoluere vel ligare tripliciter: ⁊ d̃ modo ⁊ forma abſoluẽdi.§.vj.

NOta tandem ſecundum Ray.ꝙ ſacerdos dicitur ſoluere vel ligare tripliciter.

¶ Uno modo per oſtenſionẽ

idest oſtendēdo ſolutum vel
ligatuꝫ. Dico ligatuꝫ cū non
abſoluit. Licet.n. ſit peccator
per ꝯtritionē a deo abſolutꝰ.
tñ in facie eccleſie adhuc ma-
net ligatus. ⁊ ſic intelligit̃.c.
Multiplex.§.quātuſlibet. de
pe.d.j. ¶Alio modo ligat ſa
cerdos dando pniam ad quaꝫ
obligat pctōrē: ⁊ ſoluit eū qñ
de pnia ſibi debita dimittit:
vel per caꝫ purgatuꝫ ad ſcr̃a
admittit. de pe.diſt.j.c. mlti
plex. ¶Tertio mō per excōi
cationē ⁊ abſolutionē ab ea.
xj.q.j.c.nemo Tñ ſit ſꝫ Pe.
abſolutio a peccatis realiter:
per miniſteriū ſacerdotis: nō
quidē principalr̃ ⁊ auctorita-
tiue: qꝛ hoc eſt ꝓpriū dei: de
pe.di.j.c. Multiplex.§.vbū
nec ſolū oſtēſiue: qꝛ ⁊ hoc fa-
ciebant ſcr̃a veteris legis ſi-
ue teſtamēti: nec ſolū depca-
tiue: qꝛ ſic magis abſolueret
bonus laicus: ꝙ malus cleri-
cus: nec ſolū per ꝯtritionem
ꝯfitētis: qꝛ tunc nunꝙ q̄s ef-
ficeret ibi de attrito ꝯtritus.
Sed opatur inſtrumētaliter
abſolutio ad remiſſioneꝫ: diſ-
ponēdo ad gr̃aꝫ: ⁊ niſi pona-
tur obſtaculum: fit de attrito
ꝯtritū: ⁊ iaꝫ cōtritio adauget
gratiā. Hec pe.de pa. cui con
cor. Tho.in.iiij.d.xviij.q.ij.
ar.v.ad primū. ⁊ ſit hoc vtu-
te clauiuꝫ que dicūtur plures in
effectu: qꝛ vna eſt ptās diſcer
nēdi: alia diffiniendi. Una tñ
eſt eſſentialr̃.ſ.ptās iudicādi
in foro aīe collata a deo: ⁊ in
anima impreſſa indelebiliter:
per ſuſceptionem ſacerdotij.
Hec Pe. ſm vero Ray. no-
ta ꝙ triplex eſt iudiciuꝫ.ſ.dei
petri: ⁊ celi. ¶In primo ab-
ſoluitur pctōr per ꝯtritionē.
¶In ſecundo.ſ.iudicio petri
idest ꝯfeſſiōis ꝑ abſolutiōem
ſi tñ prius ſit abſolutus a deo
ſaltē ordine: alioqñ nō. Un-
de dicit̃.xxiiij.q.j.ca.manet.
Manet Petri priuilegium:
qñ ex equitate fert̃ iudicium.
¶In tertio.i. iudicio celi.i.
curie celeſtis abſoluit̃ per ap
probationē. de pe.di.j. nūqd
caym. ¶Alio mō ⁊ alijs ver
bis dicit̃ triplex iudiciū. Pri-
mū dei. Scdm petri in eccle-
ſia militanti. Tertium ſur-
ſum in eccleſia triumphanti.
¶Primū eſt quo deus mū-
dat animā in ꝯtritiōe: ⁊ hoc
precedit reliqua duo. ſcilicet
tempore: dignitate ⁊ effectu.
Eſt eni ille q̄ claudit ⁊ nemo

aperit ꝛ nemo claudit. ¶ Se cundū qḋ ſeq̄tur poſt illuꝫ eſt iudiciū ſacerdotis qui auctori tate clauiū ligat vel ſoluit co mō quo paulo ante dictū eſt. ¶ Tertiū qḋ ſeq̄tur: eſt iudi ciū approbationis .ſ. celeſtis curie ꝛ angelorū. ¶ Nota ēt ſm Pe. de pa. in. iiij. di. xviij q. j. ar. j. ꝙ eſt triplex clauis regni celoꝝ. ¶ Prima eſt au ctoritatis: ꝛ hāc habet ſolus deus: qꝛ enim clauis ſit pote ſtas aperiendi celū: ꝛ deus q̄ ſolus principaliter pōt remit tere peccata quibus celū clau ditur: ꝛ gratiam infundere: qua aperitur: ideo habet hāc ipſe ſolus ¶ Secunda eſt ex cellentie. Hanc habet ſolus chriſtus inquātū homo. Jpe enim merito paſſionis aperu it celū: tollēs impedimētum nature: qḋ nullus tollere po tuit. ¶ Tertia eſt clauis mini ſterialis: hāc hn̄t ſacerdotes qui miniſterialiter ꝛ diſpoſiti ue agunt ad ammotionē ob ſtaculi .i. vectis ſeu pctī: ꝛ apti onem ideſt collationē gratie. ¶ Clauis aūt miniſterial' eſt duplex: vna dicit' ordinis: alia iuriſditionis: ꝛ forte ſunt rea liter diſtincte: q̄a licet clauis iuriſditionis nō ſit aliq̇d rea le: tn̄ clauis ordinis eſt aliq̄d reale ꝛ indelebile. ꝛ clauē or dinis hēt oīs ſacerdos: ſ; cla uē iuriſditiōis nō hēt niſi ha beat ſubditū: vn̄ ꝛ curat⁹ nō ſacerdos hēt clauē iuriſditio nis. ꝛ nō clauē ordis. Jtē cla nis ē duplex .ſ. clauis ſciētie ꝛ clauis potētie: vna tn̄ ē eēnalr

¶ Forma verborum abſoluē di penitentem.

Dicit Pe. de paln. diſtin. xxj. q. ij. arti. ij. ir. iij. ꝙ homo qui ignorat vtrum vn ꝙ fecerit vnā ꝑfectā confeſſi onē: expedit ꝙ in oī cōfeſſiōe ſacramētali: poſt oīa ſua pec cata ſpāliter enumerata ſeq̄ tur generalis clauſula .ſ. de oī b⁹ aliis mortalib⁹ ꝛ venialib⁹ cōfeſſis ꝛ nō cōfeſſis: ac obli tis dico meā culpā. ꝛ ſic ſeq̄ tur abſolutio: ꝛ ſic valebit ad remiſſionē culpe ꝛ pene: etiā mortalis ꝛ ſcite ac etiaꝫ obli te: ad quā tamē non tenebat alias in ſpeciali confiteri ite rū qꝛ .ſ. ſufficiēter ꝯfeſſus eſt

¶ De forma ꝛ vi verborum: que req̄runt in abſolutione.

Forma āt abſolutōis ſꝫ tho. i opuſ. ī tracta tu de foꝛa abſolutiōis

eſt hec: quantū ad ſubſtātiā. Abſoluo te. ⁊ conſueuit addi ego ⁊ a pctis tuis: ⁊ ſi nō di- cerēt ſubītelligerēt: q2. n. i ſa cramētis verba hn̄t efficaciā ex inſtitutione diuina. Tenē- da ſunt determinata verba: cōſonātia inſtitutioni diuine: dicēti. Quecūq3 ſolueritis. ⁊ cetera. Iſta verba ɔueniunt: ego te abſoluo. Idē Inno. ⁊ Hoſt. ⁊ meli9 addit ſm̄ Pe. d pa. i iiij. d. xxj. q. ij. ar. ij. ab oibus peccatis tuis. q̄ dicere a pctis tuis cōfeſſis: ⁊ oblitis et melius dicit ab oibus pec- catis que ɔfeſſus in generali vel ſpali de quibus intendis. ¶ De iſta ⁊ alijs formis di- uerſis abſolutionis ab excōi- catione ⁊ pctis: dicet infra in fine itertogatorij. ¶ Solet aūt papa aliqn̄ tātā facer̄ gra tiā qbuſdā. vt ab oibus cēſu- ris ⁊ penis ſimplicit iuris: et ab hoīe latis poſſint abſolui i foro ſaltē ɔſciētie: ⁊ tūc ɔfeſ- ſor pōt iſta formavti: quā a cu ria romana habui ⁊ vſus ſu3.

¶ Forma abſolutionis ab om nibus cēſuris ⁊ penis: tan a iure q̄ ab homine latis.

De plenitudine poteſta- tis apoſtolice: cui9 aucto- ritatem pro preſenti gero: ab ſoluo te ab oibus cenſuris ec- cleſiaſticis: ſentētijs ⁊ vincu- lis excōicationū: ſuſpēſionu3 ⁊ interdicti: tā ab hoīe q̄ a iu re latis. necnō ab oib9 negli- gētijs ⁊ defect b9 cōmiſſis in ſacramētorū adminiſtratiōe officijs ⁊ actib9 tuis: vel noīe tuo factis: ſupplendo d ſolita apl'ce ſedis clemētia: oēs de- fectus eorūdē. Aboleo ēt oē3 maculā infamie ⁊ inhabilita- tis vndecūq3 ɔtrā. diſpēſoq3 tecū ſup omni irregularitate ſimonia i ordine ⁊ beneficio: actiue vl' paſſiue: q̄cunq3 occa ſione vel cā: ēt circa te in col- latione ordinū ⁊ aliorum ſacra- mētorum: ɔtis ſeu cōmiſſis: Reſtituo te ⁊ habilito te ad ſtatū: famā honorē ⁊ executi- onem officiorum eccleſiaſticoru3 quorūcūq3: ac ad omnes gra dus dignitatum ⁊ honorum. ad bn̄ficia eccleſiaſtica habita et habēda: ⁊ tibi de his que ha- bes de nouo puideo: relaxan do tibi fruct9. quos male pce- piſti: ſeu leſa ɔſciētia ex eiſdē ac alia que in ludo ex ſucceſ- ſione: ac alias ad te ſupuene- rūt: que ſubiacēt reſtitutioni vage i forma pleniſſima. In

nomine patris ⁊ filij ⁊ ſpirit⁹ ſancti amē. ¶ Si aūt aliquis dubitat: an pro iſtis ſpecialis exigat forma abſoluēdi neceſſaria: qui a ſede apoſtolica habēt priuilegiū: ꝙ in articulo mortis dūtaxat ſemel poſſint abſolui ⁊ hēre plenā remiſſionē omniū ſuoꝝ peccatorum idest a culpa ⁊ a pena: vt alij exprimūt rñdetur ſꝫ ꝙ a magiſtris tan in ꝯcilio ꝯſtātieñ: ꝙ baſilienſi dictuꝫ fuit ꝙ non ſed ſufficit ꝙ ea oīa ⁊ ſingula faciat: pro q̄bus p̄fata indulgentia daṫ: ꝑut in bullis vel priuilegijs taliuꝫ exprimitur ¶ Nec putet aliquis ꝙ qñ in articulo mortis fuit ſemel abſolut⁹ plenarie: et vſus eſt ſemel illo priuilegio: ꝙ poſtea ī alio articulo mortis vti illo iteruꝫ valeat: niſi papa latiorem auctoritatem daret ꝙ̄ dat: qñ ponit ꝙ ī articulo mortis duꝫtaxat ſemel. ⁊ ita reſpōſuꝫ ē in ꝯcilio ꝯſtantienſi a clariſſimis viris plurib⁹ de hoc req̄ſitis. Nec mirū: q2 priuilegiū de indulgentijs tantuꝫ valet cui daṫ: quantam ſonat: non autem extendi debet vltra.

¶ Quid fiendum quando cōfeſſor abſoluit penitentem de quo non debuit.

Sed quid de confeſſore qui abſoluit confitētē de quo non debuit: aut ex ignorātia vel verecundia: vel feſtinatione: vel huiuſmodi. ⁊ confeſſor poſtea experitur ſe erraſſe nūquid tenetur confitēti hoc dicere. Rñdetur ſm omēs: ꝙ cōfeſſus excuſatus eſt: ⁊ coram deo abſolut⁹ interim ꝙ neſcit: ſꝫ cōfeſſor nō. Quid ergo faciet. Collatio fctā fuit d̄ hoc cuꝫ multis notabilib⁹ doctorib⁹ theologie in ꝯcilio baſilienſi. Naꝫ quidā dixerunt ꝙ ꝯfeſſor debꝫ auctoritateꝫ a ſuperiore īpetrare abſoluēdi eum: ⁊ ſi ſine magno ſcādalo fieri pōt vocare nō abſolutū: ⁊ ſibi dicere ac euꝫ abſoluere poſt auditā ꝯfeſſionē. ¶ Vel ſi magnū ſcādalū timereṫ: abſoluat eū abſentem: ſi ab vltima ꝯfeſſione adhuc ſperatur eſſe in grā. Adhuc aūt ⁊ alijs placuit: ſi notabile ſcādalū timereṫ: ſummo ſacerdoti deo cōmittat. ⁊ ſolam condignaꝫ penitentiā pro ei⁹ negligētia peragat confeſſor: preſertim quando multitudo ſic eſt negleeta: vel multi eorum diſtant a loco vbi eſt confeſſor.

¶Quid de confeſſore qui nõ intelligit penitentem.

Quid etiam ſentiendũ eſt de eo qui confitetur ⁊ cõfeſſor non intellit eũ: aut ex dormitione: aut ex imperitia lingue: vel diſtractiõe nimia mentis vel ſimili cauſa. Reſpondet Jo. de bartheberg is antiquus doctor in quolibet. ſuis. Sacramentalis abſolutio preexigit ↄfeſſionẽ. Omnis vero cõfeſſio importat reuelationẽ: que nõ pt eſſe ſine relatione vni᷒ ⁊ pceptione alteri᷒. Cum ergo alter᷑ iſtorũ deficiat. ſ. pceptio ſacerdotis: in pfato caſu de illo pctõ non credo eſſe ↄfeſſionez: ⁊ p cõſequens nec impendit abſolutionẽ. Hec ille. Sʒ illud videtur debere intelligi: vbi obaudita ſunt pctã grauia: q̃ ſunt de neceſſitate ſalutis ↄfitẽda nõ de alijs que cadũt ſub cõſilio vt vẽialia: ⁊ vbi talia modica obaudiunt raro ab eo q̃ alias neſcit pſonã. Debet ergo ↄfeſſor facere iterare ea q̃ ex ſomno nõ intellexit ¶An penitẽs teneat iterare penitentiaꝫ ei iniunctã in peccato mortali factam: in toto vel in parte. ⁊ an dicta pnia taliter facta ei valeat in foro militantis eccleſie. §. vij.

Utrum vero penitentiaꝫ ſeu ſatiſfactionem impoſitam per abſolutionem debitam in pctõ mortali factam: vel in toto vel in parte teneatur hõ iterare Sup hoc ſunt varie opiniones. In hoc tamen oẽs cõcordant: ꝙ ſatiſfactio facta in mortali nõ valet ſicut nec alia opa fctã i morta li valent in foro dei ad tollendum vel minuendũ debitum pene pro pctĩs ad qđ ordinat oĩs ſatiſfactio: qꝛ cũ nõ ſit in amicitia cũ deo: non põt eſſe acceptũ tale opus ipi deo: ſic factũ. Sed vtrũ valeat in foro eccleſie militãtis: ita ꝙ nõ teneatur eaꝫ iterare. In hoc eſt varietas opinionũ. Aliqui dicũt ꝙ tenetur iterare: qꝛ cũ non potuerit ſatiſfacere deo: nec ẽt potuit ſatiſfacere ſacerdoti: qui in pſona dei illud ſibi iniunxit. Sed Pe. tarã. ⁊ Jo. peri. videntur ſimpliciter dicere ſine diſtinctione: q̃ talis non teneť iterare tales ſatiſfactiones qꝛ ſatiſfecit in foro eccleſie militantis: in quo date ſunt: ⁊ vbi nõ iudicatur de diſpoſitione interiori. Jdẽ

videtur ſentire. Vincē. i ſpe-
culo hiſtoriali li. ix. ⁊. d. Ani-
bal in: iiij. ¶ Et pro iſta opini
one vr̄ ſatiſfacere īpoſitio ſe-
ptēnis penitētie: que r̄gulari
ter fiebat pro quolibet mor-
tali ātiquus. vt xxij. q. j. c. ꝓdi-
cādū. Et veriſimile eſt ꝙ i tan-
to īteruallo aliqđ mortale cō
mittebāt. vn̄ ſi oportuiſſe ite
rare fuiſſet laqueū imponere
animabus. ¶ Tho. vero cum
Alb. i. iiij. diſtinguūt de ſatiſ
factionibꝰ in q̇bꝰ remanet ali
quis effectꝰ in ſatiſfacientibꝰ:
etiā poſtꝙ actꝰ ſatiſfactionis
trāſijt: vt ex ieiunio remanet
corporis maceratio: vel debi-
litatio: ⁊ ex elimoſina ſubſtā-
tie diminutio: ⁊ tales ſatiſfa-
ctiones in pctō nō opꝫ itera-
re: qꝛ q̄tuꝫ ad illud qđ ex eis
remanet: per pniam ſequētē
accepte ſunt. Alie vero ſatiſ-
factiones ſunt: que nō relin-
quunt effectū in ſatiſfaciente
poſtꝙ trāſijt actꝰ ſicut in ora
tione ⁊ hmōi. Actus. n. iteri
or qui tollit: tranſit nullo mō
viuificat: vnde opꝫ ꝙ tales ſa
taſſactiones iterent. Eandeꝫ
opinioneꝫ tenet Pe. de pa. i
iiij. di. xv. q. j. ar. iij. magis de
clarans. Dicit. n. ꝙ in ſatiſfa-
ctionibꝰ habentibꝰ effectū de
relictū poſt opus: vt elimoſy-
na priuatione eris. ieiunium
corporis debilitatione ⁊ hu-
iuſmodi: ſi poſtea peniteat et
perſeueret ſicut baptiſmalis
character hēt effectū recedē-
te fictione: ſic ⁊ iſtud d̄relictū
ex ſacramēto qđ operatur ex
ope operato: incipit valere ex
ſequēti eiꝰ approbatione ⁊ ſa
cerdotis ratihabitiōe: cū illū
vere penitet: ⁊ nō ex ſimplici
viuificatione: quia opus ope-
rans mortuū nūꝙ viuificat.
⁊ ſic illa pnia ſatiſfacit: nō ſo-
lum in foro eccleſie: ſed ēt in
foro dei q̄tuꝫ ad illud dereli-
ctū: vt nō oporteat iterare ſi-
cut ieiuniū: elemoſina ⁊ hu-
iuſmodi. Sed ſi nō hn̄t effe-
ctum derelictuꝫ vt orō: talis
pnia fctā in mortali nullo mo
do ſatiſfacit: q̇n hic vel alibi
oporteat ſatiſfacere. qđ vr̄ in-
telligenduꝫ in foro dei: qꝛ nec
rōe ipiꝰ opis cū faciat: nec ra-
tiōe d̄relicti cū poſtea penitet
euꝫ cū nō hēat effectū dereli
ctū: ſꝫ i foro eccleſie ſatiſfacit:
qꝛ nō eſt neceſſe eā iterare ſi
vult eē i ſtatu ſalutis: poſtea
penitēdo: ſicut neceſſe hēbat
ipſam implere cū fuit ſibi im-

poſita. ¶Unde idem pe. dicit paulo superius: q̄ q̄n homo eſt de oībus ɔtritus ⁊ cōfeſſus: ⁊ accipit pniam cū abſolutione: ſi recidiuās pagat eā in mortali: ipſe quidē ſe liberat ab iniunctione ſacerdotis nec incurrit pctūm inobediētie: qḋ incurreret ſi eā nō perfeciſſet: q2 nō eſt fortius vinculū cōfeſſoris q̄ dei vel eccleſie Sʒ in mortali exiſtēs implēdo preceptū dei .ſ. de honore parentū: vel preceptum eccleſie: vt de ieiunio quadrageſimale: ⁊ de elemoſina ab illo abſolute ſe liberat: ergo ⁊ c̄. hec Pe. vbi ſupra. Cū ḡ pnia iniuncta ordinet ad tollendū vel diminuendū debitū pene tpalis: talis qui pniaʒ ſibi impoſitā nō habentem effectuʒ derelictū: vt orationes: pfecit in mortali: ſi reuertit ad penitentiā ⁊ tandē moritur in ſtatu gratie: ex quo illā nō iterauit: cū per ipſam nil ſit ſolutū de debito pene tēporalis: ſoluet eā in purgatorio: niſi per alia bona hic ſatiſfaciat. Qḋ ſi nō reuertat ad pniam: qui pniam pficit in mortali quācūqʒ: ſiue habentē effectū ſiue nō habentē derelictū: ſoluet illud dbitū in iferno ſemper: ſicut ille q̄ morit in mortalib⁹ ⁊ venialib⁹: de vtriſqʒ ſoluet penā eternā in iferno ¶Quāuis eni p veniali debeat pena tēporalis que finē hēt: tn̄ per accidēs eſt q̄ veniale puniatur in iferno pena eterna: ſed rōne ſtat⁹: q̄a in inferno nulla eſt redēptio. Nō. n. eſt ille ſtatut⁹ expiandi culpā ad quā ſequit pena: ⁊ iō ſemper remanente culpa veniali durat ⁊ pena. Ita tenet tho. in. iiij. di. xxij. Sed d̄ pena tēporali debita pro mortali poſt ɔtritioneʒ. Pe. de pa. ſic declarat i. iiij. vbi ſupra. ar. iiij. ad. j. ¶Peccator poſtq̄ eſt deo recōciliat⁹ eſt debitor pene finite: nō qualitercūqʒ ſoluēde: ſʒ in ſtatu grē in quo ſoluʒ eſt deo accepta. alioq̄n eſt debitor pene tāte: quātā meretur culpa: ⁊ illa eſt infinita Un̄ peccatori per ſe debebatur quidē pena infinita ſi erat in mortali: ſed mutata fuit in tēporalem: ſuppoſito qḋ perſeueraret i amicitia. Acceptauit eniʒ de⁹ abſolutionē a pena eterna: ⁊ impoſitionē pene finite ſub ɔditione: ſi i grā fieret. ¶Et ſi querat quare

de⁹ magis acceptauit abſolutionē a culpa ſine ɔditiōe: ꝙ abſolutionē a pena: dicendū est ꝙ culpa tranſit et macula tranſit: ⁊ grā in momēto aduenit: ſ3 ſatiſfactio futura eſt. futuris aūt ſolet cōditio apponi. non aūt preſentib⁹ nec preteritis: vel ſi apponaꝛ certa eſt: q: ſicut eſt in grā, ꝓ tūc nō pōt eſſe ſine grā Ideo remiſſio culpe fit ſine ɔditione: vel fit ſimpliciter: q: conditio nō exiſtit. Uñ ſicut per ſacramētū nō remitteretꝛ culpa niſi adeſſet grā: ſic nec poſtea ꝑ ſatiſfactione remittitꝛ pena niſi adſit grā. ¶ Talis ergo dimiſſa culpa punietꝛ in inferno pena infinita. nō ꝓpter commutatione finite in infinitā: ſ3 q: debitor eſt pene infinite ex quo nō ſoluit penā finitā ſub ɔditione qua debuit. Sicut perdēs priuilegiū clericale incidit de foro miti ad forum ſanguinis: ſic qui dclinat forū eccleſie icidēs in mortale: ad forū iuſticie exterminātis iuenit penā eternā. Hoc qd̄ dicit Pe. vr̄ intelligendū de eo qui penā iniunctā non habentē effectū derelictū factā in mortali; ſcito ab eo; vel de quo dubitat: cōtēnit iterare: vel etiā credit vel dubitat ſe debere iterare: ex negligētia dimittit: ⁊ ex labore recuſans hoc: et in purgatorio faciet emendā de eo. ¶ Sed ſi q̄s dimittit iterationem talis pnie ex īpoſſibilitate: q: eidēficit tēpus: vel credit ſe eā feciſſe in ſtatu grē: vel ſi fuerit in mortali incognito: tn̄ ab eo: vel ēt ſi ſcit ſe eā feciſſe in mortali: iterare facit per aliū quē credit bonū: vl' etiā ſi nec per ſe nec per aliū iterat: credit ſibi ſufficere ad ſalutē ꝙ īpleuit ſibi iniunctā: intēdēs ꝙ hic minus fecit: ſatiſfacere ī purgatorio: et ſic de eo facere emendā per hmōi omiſſionē: talis non dānaꝛ. ¶ Uñ ⁊ ipe Pe. dīc. di. xlv. q. ij. ar. ij. ɔcluſiōe iij. ꝙ qui facit pniā iniunctā in mortali pro ſe: pro tāto nō teneꝛ iterare: q: pōt in purgatorio ſatiſfacere. Et ſi dicatur ꝙ videꝛ incōueniēs ꝙ tantū q̄s puniatur pro peccato dimiſſo: ſicut pro nō dimiſſo. q̄a pena eterna: ⁊ ſic nō videꝛ in aliquo profuiſſe cōtritio ⁊ cōfeſſio. Rñdet Pe. ꝙ licet tn̄ puniaꝛ extenſiue: nō tn̄ intēſiue; ſic̄ pro vno petō: ita diu

punitur ꝙ pro mille: ſed non tam acerbe. ¶ Si etiā partē penitētie fecit.ſ. in ſtatu grē et vnus dies remāſit: pro illa die eternā luet penā: ſi nō penitet: tñ nō tā acerbe: ac ſi nū ꝙ ↄtrit⁹ nec ↄfeſſus eēt: nec i aliquo ſatiſfeciſſet: alias pcīn rediret. Hec Pe. di. xv. q. j.

¶ Remediū tutius ſiue ↄſiliū dandū penitenti qualiter perficere debeat penitentiā ſibi iniunctā: et que penitētia debeat ſibi dari ſecurior.

Nota tñ ꝙ duz quis facit penitentiā ſibi iniunctā ſi labatur in mortale ꝙuis bonū ſit ꝙcitius cōfiteri: tñ cum p ſolā cōtritionē pctīn dimittat et grā reſtituat: ꝙ cito ipē ↄteritur: etiā anteꝙ cōfiteat proſequēdo dictā pniaz: etiā ſi ſit talis pnia que nō relinquat effectū poſt ſe in foro dei realiter ſatiſfaciat: q2 in ſtatu gratie eſt: vñ i nullo tenetur iterare. ¶ Ad tollēdū āt omne dubiū: tuti⁹ vr̄ ꝙ cōfeſſor et ſi dat pnias diutinas: det penitētias vt ieiunioꝝ: elemoſinaꝝ: peregrinationū: et huiuſmodi: put requirūt peccata: nō tñ iniungat diuturnas penitentias orationū: et preci puc his: de quibus poteſt dubitari de recidiuo celeri.

¶ De celatione cōfeſſiōis: et de penitentia ſacerdotis confeſſionem reuelantis. §. viij.

Notat Tho. in. iiij. diſt. xxj. q. iij. ar. primo: ꝙ audiens confeſſionē tenetur celare audita in ipſa: q2 in ſacramentis id qd̄ geritur exteri⁹ eſt ſignū eius qd̄ gerit interius: vñ ſicut deus homini cōfitenti tegit peccatū interi⁹: ita et ſacerdos dēt celare exteri⁹ vñ tāꝙ violator eſt ſacramenti reuelator cōfeſſiōis. ¶ Eſt et alia rō q2.ſ. per hoc hoīes magis trahunt ad cōfeſſionē et ſimplicius ↄfitent. Vñ et ſi ex hoc aliqd̄ periculū futurū immineret: et hoc ſoluz ſciret per cōfeſſionē: vt de heretico qui corrumpit fideles. vel de matrimonio illicito: qd̄ aliq volūt ↄhere: vel de ꝓditione ciuitatis ficta: nō ꝓpter hoc dēt reuelari confeſſio ad ipediendū malū: vt quidaz dixerunt: ſ falſuz eſt. ¶ Debz autem monere eos qui cōfitent vt obuiēt vel deſiſtāt: et ꝑlato dicere ꝙ vigilet ſup gregē ſuū et huiuſmodi. ſine vlla reuelatione. Hec tho. in. iiij. d.

xxj.q.vbi ſupra. Quid ſi iudex inquireret ab aliquo an ſciat aliquid de illa materia p cōfeſſionem vel per aliū modū: dicit Guil. q ſi nō pōt alio modo declinare iniquū iudicez: pōt rñdere nihil inde ſcio: qd ſubintelligit vt hō: vel etiā nihil ſcio per cōfeſſionē: q ſubintellitur tibi reuelandū. Sic exponit illud Math.xxiiij. c. d die illo ⁊ hora nemo ſcit; nec filius hoīs: ſubintelligit reuelādū nobis. Pōt ⁊ hoc iurare. || Homo.n.nō adducitur in teſtimoniuz niſi vt hō. Et ideo.abſqz leſione cōſciētie pt iurare ſe neſcire id qd ſcit tm̄ vt de⁹. ¶ Sed neqz etiaz ſm Pe.de pa.i.iiij.d.xxj. per licentiā vel preceptū cuiuſcūqz ſupioris factū etiaz pape ſub pena excōicationis: licet reuelare cōfeſſionē: q ſigillum cōfeſſionis eſt de iure diuino: ⁊ de neceſſitate ſacri ¶ Papa aūt licet aliqñ diſpēſet in preceptis diuinis: vt i votis: quorum redditio eſt de iure diuino: nō tñ pōt diſpēſare in ſacramētis. ſ. vt ōs nō baptizetur vel cōfirmet: vl nō cōfiteat Et qd dictū eſt celationē confeſſionis eſſe de neceſſitate ſacramēti: non ſic intelligit qn ſit verū ſacrm: ēt ſi ipſa cōfeſſio non celaret: q vtiqz eēt ſacramentū: ēt ſi ſacerdos reuelaret: q nec ſic eſt de neceſſitate q de⁹ tegat: q ſi nō ſatiſfaciat de⁹ non tegit: ſ reuelat ad penā: aut ſi accedat fictus deus nō tegit: ⁊ nihilominus ſacerdos tenet celare. Sz dicitur celatio cōfeſſionis de neceſſitate ſacri: q natura ſacri neceſſitat eū ad celandū. natura dico ⁊ quantū ad id qd eſt ſacrm: qd ſit in occulto ſolus cū ſolo: ⁊ quātū ad id qd ſacrm ⁊ res: ſcilicet pnia interior que ēt eſt occulta: ⁊ quātū ad rē tm̄ que eſt remiſſio peccatorū: per que tecta ſunt pcā ¶ No. ſm Pe.de pa.in.iiij. di.xxj.q.iij. q qd dicit tho. q occultatio cōfeſſionis eſt d eſſentia ſacri: nō ſic ē itelligēdū q ſit ei⁹ materia vl forma: ſ q ē de eſſentia. i. natura ei⁹ obligatio ad occultationē: ſic ſi diceremus de eēntia mrimonij ē reddere debitū. i. obligatō ad ipz. ⁊ d eēntia leuis ferri ſurſuz. ¶ Eſt āt pcm̄ mortale reuelare cōfeſſionē: q eſt cō ius diuinū ⁊ poſitiuum: vnde et grauiter punitur ab eccleſia.

¶ Penitentia confeſſoris cõfeſſionem reuelantis.

SAcerdos reuelans cõfeſſionem: õ iure antiquo debet deponi: ⁊ toto tẽpore vite ſue ignominioſus peregrinari. de pe. di. vj. ca. Sacerdos. Sed ſm ca. oĩs de pe. ⁊ re. debet deponi ⁊ ad agẽdã perpetuã pñiam in monaſterio arto detrudi. Sʒ ſʒ ||Jo. facit primã pñiam certo tempore: ⁊ ex mõ aliã. Sʒ hec penitentia imponẽda eſt qñ qs in iudicio ꝯuincit de hoc: vel fatet de iure: nã alias in foro pñie vr̃ eẽ arbitraria: ſicut ꝑ alijs peccatis. ¶ Quãuis aũt poſſit ꝯfeſſor de licentia penitẽtis manifeſtare ci⁹ peccatũ alteri ſm tho. ⁊ pe. vbi ſupra nõ tñ dʒ vti licẽtia tali: niſi ad euitandũ aliqđ malũ. Tenet tñ ille cui aliqđ reuelat de licẽtia penitentis: illud celare: niſi forte pctõr velit ꝙ ille abſolute ⁊ libare ſciat. Licentia tamẽ quã dat penitens ꝯfeſſori de reuelatiõe pcti ꝗtumcũqʒ generalis: nõ itelligit niſi ad bonũ cõfitentis. ſm Pe. de pa. ¶ Sed nota ſm eũdẽ: ꝙ ſi iudex diceret alicui capto ꝑ maleficio: da licentiã confeſſori ꝙ dicat ſi tu es confeſſus d̃ hoc vel de illo: nõ tenetur dare: nec ex hoc contra eũ debʒ haberi ſuſpitio de delicto: q̃a forte hoc facit ꝓpter vitandũ ſcandalũ. ¶ Sed ſi daret licẽtiã: ſic licentiatus non debet dicere peccatũ illud ſi eſt commiſſuʒ. ¶ Itẽ ſi ꝑciperet prelat⁹ alicui cõfeſſori ꝙ diceret ſibi peccatũ alicu⁹ qđ eſt omnino occultũ: etiaʒ ſi ꝯfeſſus deo iſſet licẽtiã illi ꝙ diceret: nõ tenet dicere neqʒ obedire vt reuelet illud: qꝛ ꝑlatus nõ ẽ iudex occultoꝝ: imo etiaʒ ſi ꝯfeſſus eẽt diffamat⁹ de illo pctõ: ⁊ per infamiã ꝓcuraret illud ad cognitioneʒ iudicis: ꝗuis ipſe ꝯfeſſus iterrogat⁹ a iudice ſiue ꝑlato tenetur ſe manifeſtare: tñ ꝯfeſſor ei⁹ ẽt habita licentia ab eo dicendi: nõ tenet dicere iudici ſibi precipiẽti vt dicat ſi ſcit: nec debʒ dicere: q̃a fori non ſunt commiſcendi. ſ. penitẽtialis ⁊ ꝯtẽtioſus. Sed ſi ꝯfeſſor ſcit peccatũ alicu⁹ nõ ſolũ ꝑ ꝯfeſſionẽ ſed etiã per aliũ modũ. putaqꝛ vidit vel audiuit: per talem ⁊ talẽ moduʒ: põt dicere ꝙ illud vidit vel audiuit: dum modo non dicat ſe ſcire illud

per confeſſionez. Nec refert
vtrū prius per cōfeſſionē au⸗
dierit: ⁊ poſtea per aliuz mo
dum ſciuerit: ⁊ ecōuerſo. In
quo caſu. ſ. ſi pri⁹ ſciuit pecca
tum ante ↄfeſſionē: nō opꝫ ꝙ
ꝓteſtet ſe nō recipere illud i
cōfeſſione: qꝛ ſine ꝓteſtatiōe
pōt dicere inquātū ſcit ex cō⸗
feſſionē: nec tñ debet hoc di⸗
cere ſine magna cā ⁊ rōnabi
li: ¶ Itē ſm eundē Pe. cum
confeſſio nō auferat cōfeſſori
ius ſuuz: nec ↄferat ei ius no
uuz in alio foro: quicqd vide⸗
tur cōfeſſori faciēdū vel omit
tendū pro bono ipſius ↄfiten
tis: vel pro bono cōi: pōt face
re vel omittere: dūmodo ꝓp⸗
ter hoc nō reuelet confeſſio:
ad qd ſolū obligat: licet alias
illud nō eſſet facturus. Vñ ſi
per cōfeſſionē prioris vel alte
rius: ſcit abbas ꝙ nō expedit
priori tenere mōaſteriū: ⁊ ſit
talis qui alias ad libitum pōt
āmoueri: expectet quouſqꝫ ſi
ne nota reuelatiōis poſſit eū
āmouere: ⁊ tūc ſtatiꝫ āmoue
at. Cū. n. ex audiētia ↄfeſſiōis
nō obliget ad aliqd niſi ad ce
landū: ⁊ ſi obligaret ad aliqd
hoc eſſet ad medendū aīe pe⸗
nitentis; ſicut medicus: abſqꝫ

tamē reuelatione ↄfeſſionis
ex quo aliquē in cura ſuſcipit
tenet ſibi dare remediū ↄtra
recidiuū: ⁊ ſic in ꝓpoſito ꝙ ci
to poteſt āmouere: āmoueat
quē ēt ſine hoc āmoueri pote
rat. Si aūt talis erat: qui nō
ſine iuſta cā āmoueri poterat
cum audiētia cōfeſſionis nul⸗
lum ius ſibi prebeat in alio fo
ro: in quo non conſtat ſibi vt
iudici āmoueri nō pōt. Idem
tho. ¶ Itē qꝛ prelatus licen⸗
tiā intrādi ciuitatē ſiue vilam
ſubdito dare pōt ad libitū: vl
negare: licet alias nō eſſet ne
gatur⁹: ꝓp periculū quod ex
ſola cōfeſſione nouit: negare
pōt: dū tñ ex hoc ſuſpitio nō
oriat. In occulto tñ ſemper
monere pōt illū qui cōfeſſus
eſt: qꝛ hoc nō eſt reuelare cō⸗
feſſionem. ¶ Similiter cura
tus ꝓp cōfeſſionez nō pōt ne
gare cōionez cōfeſſo qñ eam
dare alias tenet: vt in paſcha
te: alias ſic dicēs. Tibi nō te⸗
neo: nūc dare: ⁊ nō obijciēs d
crimine cōfeſſo. non propter
hoc dicit reuelare confeſſio⸗
nem. ¶ Sed ſi alicui conque
rēti cōtra ſuū parrochialē ſa⸗
cerdotez: qꝛ nō vult ſibi dare
euchariſtiā: ipe ſacerdos co⸗

ram aliĳs diceret ꝙ hoc facit:
q; hēt peccatū a quo nō pōt
abſoluere:⁊ ipſe non vult ire
ad epm̄.hoc eſſet reuelare cō
feſſionē:ꝙuis ipſe nō intēde-
ret hoc:q; grauitatē peti ex-
p̄ſſit.hec Pe.d.xxj.q.iij.ar.
j.Et idē ē cū dicit ſe audiuiſ-
ſe quēdā nominādo eū:⁊ nō
abſoluiſſe.¶Similr̄ de epō
qui per ꝯfeſſionē nouit corru
ptionē monialis que petit be
nedictionē.q; aut eſt caſus in
quo tenetur:⁊ tūc negare nō
debet:q; ſi per ꝯfeſſionē eiuſ
dem ſibi ꝯſtat:tn̄ ſibi nō con
ſtat vt iudici in illo foro:i quo
ſicut ab ordinario mōaſteriū
petit monialibꝰ bn̄dictionē:⁊
qualibet pro ſe ipſa. Si autē
hoc ſcit per cōfeſſionē eiꝰ qui
vidit:vel qui eā corrupit: nō
ſufficienter ꝯſtat:ēt ſi ex ꝯfeſ
ſionem dicat: vn̄ negare non
debet. Si āt aliter ſcit nō te-
net benedictionē impartiri:⁊
p̄t ſine reuelatiōe ꝯfeſſionis
negare. Pōt ꝯfitēti negare
ſicut nō ꝯfitenti. ¶Et qd̄ di-
ctū eſt de bn̄dictione mōia-
liū.ſ.virginū:idē eſt de bene
dictione abbatiſſaꝝ:vbi virgi
nes cōiter benedicuntur: ſm
quoſdā qui dicūt ꝙ licet ali-
qua poſſit ēē abbatiſſa vidua
ſicut Paula mater euſtachi.
Tamen abſurdū eis videtur
ꝙ monialibꝰ bn̄dictis pōt ab
batiſſa preeſſe carēs illa bn̄di
ctione.ſic ēt ſm iura ꝓfeſſis
nō debet nouitia p̄ferri in ab
batiſſam:imo nec ꝓfeſſa taci-
te nō ex p̄ſſe.d ele.c.indēnita
tibus.i pri.li.vj. Quia tamē
qd̄ nō eſt ꝓhibitum:ꝯceſſum
eſt.ideo videt ꝙ bn̄dictio ab-
batiſſaꝝ quarūcūqz: non re
quirat virginitatem magiſꝙ
abbatū:cū nō ſit ita iure can-
tū ſicut de bn̄dictione virgi-
nū. Pe.de pa.di.xxj. Simi-
liter q; hō habet liberam ele
ctionē:licet per ſolā ꝯfeſſionē
ſciat aliquē indignum ad pre
lationē ad quā eligitur: quē
alias putabat dignū:nō de-
bet eligere ex ꝯſciētia ſibi ſic
dictante:q; eligēdo ſciēter di
gnū vel indignū negociū ge
ritur inter ipm ⁊ deū. Unde
poteſt etiā ex his que ſcit vt
deus iudicare:ita ⁊ in ꝓpoſi-
to. Sed hoc bn̄ putarē.ꝙ nō
pateret penas iuris: puta ꝙ
eſſet priuatꝰ iure eligendi:⁊ a
fructibus per trienniū ſuſpē
ſus:qui eligeret illū quē ſcit:
vt deꝰ indignū:ſ; neſcit vt ho

mo: q: de his que ſcit homo vt deus: ſolum deū hēt vltorem: nō hoiem: ꝛ huiuſmodi Pe. Quāuis autē dimidiando confeſſionē non ſit ibi ſacramentum: tenetur tñ ſacerdos celare: q: pars eſt ſacramēti. Pe. ¶ Qui teneantur ad ſigillū confeſſionis. §. viij.

